

dem operibus bonis ac meritis, ita loquitur, ut in sensu proprio, naturali et usitato non debeat intelligi de parte duntaxat gloriæ et augmento, sed recte possit accipi de *gloria tota* ejusque substantia, ac illa etiam parte, quæ gratiæ primæ respondet; ut patet tum ex testimoniis proxime recitatis vel laudatis, tum ex Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; et ad Coloss. 3. v. 24. *Scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite*. In similem sensum præter alios Patres loquitur Aug. ep. 105. (al. 194. n. 20.) scribens: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna*. Et L. de mor. Eccles. c. 25. n. 47. *Vita æterna totum est præmium, cujus promissione gaudemus*.

Utrumque roboratur ex TRID., in quo duo veniunt observanda: 1<sup>um</sup>. est, quod Sess. 6. c. 16. absolute tradat justis *proponendam esse vitam æternam et tanquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, et tanquam mercedem ex Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis reddendam*, quin aliqua hic inter primam aut secundam gloriam distinctio fiat, aut exceptio addatur: 2<sup>um</sup>. est, quod, dum ibid. can. 32. recenset præmia meritorum, non dicat sub meritum cadere *gratiam*, sed duntaxat *augmentum gratiæ*; et e contra dicat non tantum *augmentum gloriæ*, sed etiam *vitam æternam*, h. e. *gloriam* cadere sub meritum; quæ loquendi mutatio cum plus enuntiet de præmio gloriæ, quam gratiæ, ostendit ipsi substantiæ seu primæ gloriæ rationem mercedis etiam attribui, quam Concilium c. 8. negaverat gratiæ sanctificanti.

*Conf.* Si quid obstaret condigno merito primæ gloriæ, foret *indignitas personæ operantis*, quæ caret sanctitate tunc, quando operatur: sed hoc non obstat; quia eo instanti naturæ, quo peccator per bonum opus meretur gloriam, jam prius natura sanctitatem habet, quæ tum personam dignificat, tum actum informat; cum instans reale ac temporis in duo instantia naturæ dividi queat, in quorum *primo* habeatur actus bonus et persona necdum sanctificata; in *secundo* idem actus bonus et simul persona per gratiam habitualem sanctificata, et consequenter etiam actus moraliter consanctificatus ac formatus: ergo, quamvis per actum illum non nisi congrue mereatur gratiam sanctificantem, *gloriam* tamen illi respondentem meretur condigne; cum priusquam mereatur gloriam, jam intelligatur dignificatus esse per gratiam.

*Accedit*, quod ex contraria opinione sequatur, nullum hominem vel angelum consequi *totam gloriam* ut coronam justitiæ, seu ex meritis, sed omnibus dari gloriæ quasi substantiam gratis, et solum tantum accessionem aliquam quibusdam, scilicet extra Sacramentum justificatis, dari ex meritis; quod sane absurdum videtur ob repugnantiam cum SCRIPTURA, PATRIBUS et TRID. proxime laudatis.

*Prob. 4<sup>a</sup>. p.* Datur inæqualitas et augmentum gloriæ; ex hæcenus autem probatis possibile est meritum condignum etiam ipsius gloriæ; ergo et multo magis, vel saltem non minus augmentum gloriæ cadit sub meritum condignum; præsertim cum TRID. l. c. can. 32. expressam ejus mentionem faciat.

*Conf.* Qui meretur gratiæ augmentum, meretur illud ut perpetuo duraturum, quantum scilicet est ex parte Dei, seu sub conditione, si per homi-

nem non steterit: sed augmentum gratiæ in via obtentum, hoc ipso quod ad terminum viæ ultimum pervenit, nec aliquid ex parte hominis obstat, transit in gloriæ augmentum; quia omni gradui gratiæ correspondet gradus gloriæ; et omnis gradus gloriæ fundatur in aliquo gradu gratiæ.

455. *Obj. contra 2<sup>am</sup>. p.* SCRIPTURA etiam operibus supernaturalibus ante justificationem tribuit meritum condignum; nam Jac. 2. v. 21. et 25. de Abrahamo et Rahab quæritur: *Nonne ex operibus justificati sunt?* et 1. Joann. 1. v. 9. dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est et justus; ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate*. Nec obstat textus Pauli nos *gratis justificari* docentis; quia intelligi potest de justificatione *adæquate* et secundum radicem nempe primam vocationem et gratiam sumpta, non autem debet sumi de justificatione *inadæquate*, seu formaliter accepta, et secundum solum terminum seu gratiæ infusionem.

R. Textum Jacobi litteraliter loqui non de justificatione secunda, seu augmento gratiæ; unde et TRID. Sess. 6. c. 10. ex eadem epistola et capite ad probandum acceptæ justificationis incrementum usurpat verum intermedium: *Videtur, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum*. Testimonium Joannis vel agit de peccatis venialibus, ut ex versu immediate præcedente manifeste apparet, et Aug. in 1. Joann. Tract. 1. n. 6. exponit; et tunc verum quidem est, quod justus de condigno mereatur horum veniam, ut plures volunt; sed est impertinens ad rem præsentem: vel agit de peccatis *universim*, sed cum partitione accommodata; quatenus nempe Deus remittendo pœnitentibus peccata mortalia est fidelis, remittendo autem justis venialia est justus.

Expositio allata ad verba Pauli et particulam *gratis*, locum non habet ex dictis in probatione; quia de credentibus etiam dicitur justificari gratis, adeoque merita de condigno saltem excluduntur, cum merita congrua alibi stabiliverimus.

*Inst. 1.* Idem videtur docere S. Aug. L. exposit. inchoatæ in ep. ad Rom. n. 9.; ubi dicit, peccata quidem remitti ex misericordia, sed tamen intervenire justitiam: *Hoc plane justum est apud Deum quia vere justum est, ut ii, quos peccatorum suorum pœnitent.... misericorditer separentur ab eis qui defensiones peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nulla pœnitentia corrigi volunt; quod ipsum bis æquivalenter repetitur.*

R. Cum Aug. alibi sæpius non nisi meritum congruum admittat ante justificationem, non potest hic loqui de justitia propria, qualem agnoscit in retributione meritorum de condigno; sed accipiendus est de quadam æquitate et conveniente providentiæ modo; quem insinuat ANSELMUS Prosolog. c. 10. dicens: *Cum punis malos, justum est; quia illorum meritis convenit: cum vero parcis malis, justum est; non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condecens est*. Item: *Ita justus es, non quia nobis reddas debitum; sed quia facis quod decet te summe bonum, etc.*

*Inst. 2.* Meritum et præmium gloriæ primæ possunt esse simul tempore, dummodo meritum ordine naturæ præcedat; ergo idem dicendum est de merito et præmio primæ gratiæ habitualis; præsertim quia ex alia parte nulla conditio ad meritum condignum deficit; cum ex supernaturalitate

actus habeatur sufficiens æqualitatis proportio in contritione perfecta, vel dilectione Dei respective ad gratiam habitualem; et etiam adsit promissio Dei, qua vere pœnitentibus remissio peccatorum et gratia asseritur.

R. *Disparitas* patet ex datis pro utraque parte rationibus, quibus ostendimus *primam gratiam* tanquam principium meriti condigni non posse cadere sub meritum condignum, posse autem *primam gloriam* respondentem primæ gratiæ sub illud meritum cadere: unde permessa etiam divina promissione justitiæ seu conventionali, et non tantum simplici de gratia pœnitentibus danda, tamen non probatur meritum de condigno, cum ad id negandum sufficiat defectus vel unius conditionis, qui in præsentī casu habetur ob personam necdum gratam.

436. *Obj. contra 3<sup>am</sup>. p.* Justus potest de condigno mereri augmentum gratiæ habitualis; ergo et auxilium *actuale efficace*, hujusque opera per subsequens opus auxilium efficace ad aliud opus, et sic deinceps usque ad vitæ finem; præsertim quia Christus Matth. 7. Joann. 16. et alibi sæpius promisit, se orantibus daturum quidquid petierint.

R. *N. Cons. Disparitas* patet ex datis pro utraque parte rationibus, quas recole. *Ad rationem* additam *D.* Promisit hæc Deus promissione conventionali ac justitiæ *N.* simplici duntaxat et liberalitatis *C.* vel *Subd.* ita ut inde exurgat connexio infallibilis cum effectu *N.* fallibilis duntaxat *C.* Juxta plerosque enim non datur meritum congruum strictum *perseverantiæ finalis*, sed minus strictum et libertati divinæ etiamnum subjectum; tum quia donum hoc potius per preces, quam sola opera bona obtinetur: tum quia quasi per partes acquiritur; quatenus per instantes preces bonaque opera ad id directæ nunc de congruo meremur auxilium ad non cedendum tentationi, et post illud iterum orando et bona agendo meremur auxilium ad servandum idem, vel aliud præceptum, ac sic deinceps; non vero quasi per unum vel plura opera bona mereamur ita perseverantiam, ut propter hæc certo detur donum perseverandi toto residuo vitæ tempore, absque nova cura et oratione.

*Inst. 1.* Justus similiter potest mereri vitam æternam; ergo et perseverantiam in gratia; tum quia, qui potest mereri finem, potest etiam mereri medium ad finem: tum quia, qui meretur id, quod est excellentius, potest et mereri id, quod est minus.

R. *N. Ass.* Cujus falsitas patet tum in *gratia prima*, quæ etiam medium est ad vitam æternam tanquam finem; tum eo, quod, licet vita æterna cadat sub meritum de condigno, tamen id nequeat etiam dici de conservatione juris ad vitam æternam: unde nec, quæ necessaria sunt ad talis juris conservationem, inter quæ perseverantia numeratur, sub meritum de condigno cadere debent.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. D. Ass.* Si cætera sint paria *C.* secus *N.* Disparem vero rationem esse constat ex thesium probationibus.

*Inst. 2.* Ad Hebr. 6. v. 10. dicitur: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis; quæ verba, cum scripta sint ad homines justos, sed postea lapsos, ostendunt merita justorum de condigno mereri reparationem post lapsum.*

R. 1<sup>o</sup>. *N. Supp.* Ad fideles enim, quamvis remissiores et imperfectos, sed adhuc in gratia et bonis operibus perseverantes hæc scripta esse a Paulo, satis docet verbum præsens, et *ministrastis*, huic textui adjunctum; quod ipsum indicat CURYS. hom. 10. in ep. ad Hebr. n. 2., THEOPHYL. in versum præcedentem, et recentiores Interpretes.

R. 2<sup>o</sup>. Si textus secundum verba relata intelligatur de justis, sed jam lapsis, debet sumi cum imbibita hac *conditione*: Si respiscatis et pœnitentiam egeritis; quæ interpretatio est S. ANSELMI in hunc locum, et affertur a Gratiano in nota ad c. 29. §. *Operis*, Dist. 2. de Pœnitentia. Cujus *ratio* est; quia, quamvis bona justī opera, quæ per peccatum superveniens mortificantur tantum et impediuntur, non penitus extinguuntur, non mereantur hujus impedimenti ablationem: tamen impedimento illo per misericordiam Dei gratis sublato statim priora merita reviviscunt, vim suam recuperant et justitiam exercent.

*Inst. 3.* Opus bonum hominis justī etiam post lapsum manet condigne meritorium vitæ æternæ; ergo etiam potest manere condigne meritorium reparationis; quia plus esse videtur, meritum vitæ æternæ durare cum peccato, quam meritum reparationis post lapsum.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia justus meretur vitam æternam sibi justo reddendam, in quo nihil est absurdi aut peregrini; unde meritum hoc respectu consecutionis vitæ æternæ includit conditionem, si justus in gratia decesserit, quemadmodum id TRID. Can. 32. sæpe laudato exprimit; hæc autem minor est, quam illa, si perseveret, juxta expositam superius perseverantiæ propriæ naturam: verum si quis mereretur reparationem post lapsum, mereretur aliquod præmium sibi indigno reddendum; cum reddi deberet sibi in peccato mortali existenti, quod sane justitiæ merito condigno repugnat.

437. *Obj. contra 4<sup>am</sup>. p.* TRID. in Can. 32. memorato imprimis non dicit justificatum mereri *gloriam primam*, sed absolute vitam æternam seu gloriam, quæ abstrahit a prima et secunda: deinde addidit de augmento gloriæ; ne quis putaret, omnes mereri eandem vel æqualem gloriam, ut *Hæretici* sentiunt: demum, sicut ibidem recensendo vitam æternam et ejus consecutionem, hæc non proposuit ut duo præmia diversa, sic nec referendo vitam æternam et gloriæ augmentum.

R. *Quoad 1<sup>am</sup>. D.* Tridentinum non dicit formaliter, justificatum mereri gloriam primam *C.* non dicit æquivalenter *N.* Dicendo enim *vitam æternam*, gloriam totam includit; addendo *augmentum gloriæ*, declarat per vitam æternam intellexisse ipsam substantiam gloriæ ab ejus initio, quod idem est, ac gloria prima.

*Quoad 2<sup>am</sup>. N. Ass.* Concilium hic non agit contra Hæreticos negantes merita, quorum ideo essentialia præmia distincte explicat. Quin, si contra priorem errorem hic agere intendisset, satis habuisset dicere, justos mereri *augmentum gloriæ*; sicut satis exposuit, dari in justis varios gratiæ gradus, dum solum docuit, justos de condigno mereri augmentum gratiæ.

*Quoad 3<sup>am</sup>. Disparitas* est; quia vitam æternam et consecutionem ejus non esse duo distincta præmia tam patet, quam patet mereri *mercedem* et *solutionem* mercedis non esse duas mercedes; cum res ipsa non cadat sub

meritum, nisi quatenus retribuenda est operanti, et ex opposito meritum eo tendat, ut præmium obtineatur. Quod tamen Concilium illa duo distincte posuerit; *ratio* erat, ut explicaret, quomodo meritum vitæ æternæ certissimum et infallibile sit, licet præmium non statim detur, nec omnes, qui illud merentur, consequantur; id quod fecit declarando, mereri justos vitam æternam, sed non statim, neque omnibus aliquando reddendam infallibiliter infallibilitate absoluta, sed sub conditione; si in gratia decesserint. E contrario autem nec idem sunt vita æterna, et gloriæ augmentum: nec si idem sunt, dari *ratio* potest, cur velut duo distincta posita fuerint.

*Inst.* Homo non meretur de condigno *primam gratiam*; ergo nec primam gloriam; quia non meretur gloriam, nisi quatenus meretur gratiam; cum gratia ferat jus ad gloriam; ergo si gratia non est ex merito condigno; nec gloria erit.

R. *N. paritatem* ob datas in utraque thesi rationes.

*Ad prob. N. A.* Licet enim nemo acceptetur ad gloriam, nisi per gratiam, et ideo nemo mereatur gloriam sine gratia; non est tamen necessarium, ut simul mereatur gratiam, nisi solum tunc, quando gratia non supponitur.

458. *Observe.* Meritum in alterius favorem soli Christo proprium est tanquam capiti universorum, et de cujus plenitudine nos omnes accepisse Joann. c. 1. v. 16. testatur. Ut tamen justis meritum tribui possit *de congruo* ad obtinendam aliis etiam gratiam habitualem primam, saltem mediate et per gratiam actualem conferendam, facit imprimis ille fidei articulus, quem in Apostolorum Symbolo per *Communionem sanctorum* profitemur; deinde lex amicitiae Deum inter et hominem justum, secundum quam congruum videtur, ut Deus precibus justis tanquam sui amici pro alio rogatus conferat ipsi gratiam aliquam ac beneficium supernaturale, quod auxilium præveniens ac excitans erit: quibus accedit exemplum tum Ecclesiæ pro persecutoribus Paganis, Hæreticis, ac Judæis orantis; tum Sanctorum Abrahami, Jobi, Stephani et aliorum pro impiis peccatoribus deprecantium.

Hujusmodi tamen meritum non esse stricte congruum et infallibile testatus est ipse Deus, dum 1. Reg. 16. v. 1. Samueli dixit: *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet in Israel?* Item Ezech. 14. v. 16. *Tres viri isti, nempe Noe, Daniel et Job, nec filios, nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur;* et Jerem. 15. v. 1. *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Hisce prælectionibus de gratia finem ponimus, et Lectoribus nostris æque ac nobis a Deo gratiam precamur finalem.

O. A. M. D. G.

## CONSPECTUS TOMI QUARTI

PARS PRIOR.

### TRACTATUS DE PECCATIS, GRATIA, JUSTIFICATIONE ET MERITO.

#### DISPUTATIO I.

DE PECCATIS GENERATIM.

CAPUT I. — DE NATURA ET AFFECTIOIBUS PECCATI.

	Pag.
ARTIC. I. — <i>Quid et quotuplex sit peccatum?</i> . . . . .	3
I. — Peccatum est actus moralis regulæ morum difformis . . . . .	3
II. — Peccatum ratione entitatis dividitur in peccatum <i>commissionis</i> et <i>omissionis</i> ; ratione subjecti in <i>personale</i> et <i>originale</i> ; ratione effectus et pœnæ in <i>mortale</i> et <i>veniale</i> ; ratione regulæ morum in <i>theologicum</i> et <i>philosophicum</i> . . . . .	4
ARTIC. II. — <i>An omne peccatum sit formalis offensa Dei?</i> . . . . .	5
Omne peccatum rectæ rationi graviter difforme est etiam formalis offensa Dei . . . . .	5
QUÆRES I. <i>Quidnam circa peccatum pure philosophicum sit constitutum?</i> . . . . .	12
I. — Pars una de peccato theologico et mortali, quod nempe hoc sit <i>libera divinæ legis transgressio</i> , non subjacet censuræ, nec digna est censura, nisi forte philosophica diminutionis et insufficientiæ. . . . .	12
II. — Pars prima de peccato philosophico, quod nempe hoc sit <i>actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi</i> , scilicet <i>soli</i> , etiam non subjacet censuræ, quatenus nomenclaturam illius peccati explicat. . . . .	12
III. — Pars secunda de peccato philosophico, quæ in postremo commate habetur, ut jacet, censuram sustinet et meretur . . . . .	12
QUÆRES II. <i>In quo sit formalis malitia peccati?</i> . . . . .	13
I. — Formalis malitia peccati <i>commissionis</i> adæquate consistit in positivo; scilicet in libera tendentia actus in objectum prohibitum. . . . .	13
II. — Omissio etiam sola actionis præceptæ est peccatum, et formaliter stat in quasi positivo . . . . .	13
ARTIC. III. — <i>An omnia peccata sint æqualia?</i> . . . . .	14
Non omnia peccata sunt æqualia. . . . .	14